UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum Tractatuum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ - Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ collectus: & usui accommodatus

**Drużbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars VI. Erga Æternam Sapientiam propter nos incarnatam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

Visual Library

# EXERCITIORU

## PARS VI.

## Erga Æternam Sapienti propter nos Incarnatam,

## EXERCITIUM I.

### *Per Indivinationem in ipſam.*

1.

REcognoſces Deum propter tuam, & Humani generis ſalutem incarnatu

2. Impendes te totum, cum omnibus v partibus, actionibus, paſſionibus tuis, Charitate, huic Incarnato Deo, in eum pleniſſimè transformare geſties.

3. Ad hoc enim ille Homo factus eſt, divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes: D que ſuæ Naturæ conſortes redderet.

Pſ. 83. 3. 4. Facies ergo; ut cum Pſalmiſta *Cor & caro tua, exultent*, & transformentur in *vivum*: facies; ut tota caro tua, tota Anim totus tu, tota capacitas, tota obedientialitas poſſibilitas, tua in Deum tranſeat; ita u plenè, & planè perdita, poſſit ex Verita cere; *vivo ego, jam non ego, ſed vivit*

Gal. 2. 20. *Chriſtus.*

5. Vivat aſſiduitate cogitationis & mem vivat puritate intellectionis ac ſapientiæ, flagrantiâ charitatis & affectionis, vivat de

tione creati deſiderii & ſpei: vivat puritate cordis & corporis: vivat ſimplicitate unionis & unitate ſpiritûs, vivat edomatione ſenſûs, & nullitate effrenatioris concupiſcentiæ, vivat oblivione & ſepulturâ ſui in Deo; vivat imagine & effigie Chriſti Crucifixi, vivat vitâ Dei & Deificatione.

6. Ad iſta ut idoneus fias; efficiet Amor JEſu Chriſti, Dei-hominis, practicus & expreſſivus, atque ſigillativus, per quem efficieris alter quaſi Chriſtus: alter paupertatis nuditate, alter caſtitatis puritate, alter obedientiæ ſubjectione, alter mentis humilitate & exinanitione, alter cordis manſuetudine, alter crucis mortificatione, alter gloriæ Dei zelo, alter heroicâ Charitate, alter terrenorum contemptu, alter Virtutum exemplaritate, alter intentionis ſimplicitate, ſublimitate, unitate, alter adglutinatione ad Deum, ad ejusque Voluntatem conformitate & identitate. Sic enim affici, Deificari eſt. Et qui ſic adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum ipſo.

7. Et talis fuit Vita univerſa Domini noſtri JEſu Chriſti, talis omnis Actio, talis profeſſio, tale inſtitutum, & decurſus à primo vitæ inſtanti, usque ad ultimum terminum vivendi.

8. Confer tuam profeſſionem cum ejus profeſſione, numquid non eadem eſt? confer profeſſionis executionem cum ejus executione, numquid eadem eſt? Heu! in quanta regionis diſſimilitudine vita tua disjuncta eſt ab ejus Vitâ? Et quamdiu ſic erit? quando indues Dominum JEſum Chriſtum? quando totus in te, & ex te eminebit JEſus Chriſtus: & hic Crucifixus?

9. Exeas tandem à creaturis, exeas à te ipſo, deficе & peri tibimetipſi: ingredere ad interiora

JEſu: nihil attingens, nihil retinens, nihil agen quod vel te, vel creaturam redolebat: ſedh ſolum, quod aut Deum ad te, aut te, aliosq per te, ad Deum ducat.

### *P R A X I S.*

*Sapientia Æterna, increata, pro nobis autem in carnata, atque Humanitatis noſtræ vilitate v ta: quid obſecro retribuam tibi Deo Redemptori, tanto Amatori meo: tantoque profuſori tui, pro lectione, pro ſalute, pro profeſſione mei? Scio eq dem me nec ad unicum atomum Dignationis tu propter me ſuſceptæ, adæquandum, ſufficere: att men etiam ſcio, nihil poſſe æquè tibi optabile fi me propter te: quàm ut per omnia dediſcam à m totus verò per omnia ſuperinduam Te, fiamque al Tu. O incarnata Sapientia Domine JEſu, da q jubes, & jube quodvis. Induiſti carnem meam, me induas Deitatem tuam: factus es particeps Hu manitatis meæ, ut me faceret Divinæ tuæ natu conſortem; Da quod jubes, & jube quod vis. In duitionem Tui à me mihi jubes: transformation mei in te jubes: da quod jubes, & jube quod v da quod jubes, & fiam quod vis: fiam alter f fiam totus Tu. Vivam ego jam non ego, ſed vi in me Tu: qui es cum Patre & Spiritu Sancto un in Trinitate Deus benedictus in ſæcula.*

# EXERCITIUM II.

## *Erga Sapientiam Incarnatam, per Exerci tionem Virtutum.*

1. RÈcognoſces: propter tuam, & totius h mani generis ſalutem, incarnatam Æternam Sapientiam.

2. Co

2. Confiteberis tuam in Deum incarnatum Fidem: prout illam Sancta Catholica Chriſti Eccleſia profitetur, & tradit.

3. Excitabis, & profiteberis tuam in eum ſpem, & fiduciam: præſertim quoad remiſſionem peccatorum, tam quantùm ad culpam, quàm quantùm ad pænam æternam, temporalemque: item quoad aſſecutionem vitæ æternæ, per merita, & mortem illius: item quoad filiationem & Hereditatem Dei: item quoad vitam noſtram ſpiritualem in Chriſto, tanquam palmitum in Vite: item quoad meritorum noſtrorum, in unione cum meritis Chriſti factorum, valorem, & condignitatem ad Vitam beatitudinemque æternam, ex condigno, & juſtitiâ.

4. Effundes tuam in eundem Incarnatum Deum Charitatem, ejusque ſuper omnia, ſuper Vitam tuam, ſuper totum Te appretiationem, Diligens, & complectens, æſtimansque illum ex toto Corde tuo, ex totâ Animâ tuâ, ex totâ Mente, Viribus fortitudine tuâ.

5. Agnoſces, quin & ſimul exeres, exercebisque tuam in eum, & propter eum Obligationem Obedientiæ, Imitationis, Venerationis, Gratitudinis, Zelationis, Subjectionis, humiliationis, deſiderii, comprehenſionis, communicationis, & fruitionis.

6. Atque totum hoc ages, & agere propones, hoc intuitu, ac motivo, quia ipſe eſt Deus, & Caput, & Rex, & Dominus, & Heres, & Bonum omne noſtrum, & Homo propter nos, & Redemptor, Salvator noſter, Miſericordia, Juſtitia, Sanctificatio, Beatitudo, & Vita æterna noſtra.

7. Eſt idem Via, Veritas, & Vita: eſt Pa
Ovium, & Oſtium, & Ovile, eſt Paſcuum,
Pax noſtra. Eſt Sacerdos, & Hoſtia, & Alta
Eſt Exemplum, eſt Lex, eſt Lux, eſt Magiſter,
Legifer noſter. Denique Merces, & Corona,
Præmium, Præmiatorque, & Diſcretor, ac J
dex Meritorum, Braviumque certaminum n
ſtrorum.

8. Hæc tibi commendent Deum pro te
carnatum, omniaque iſta tibi factum. Hi
condigna age; condignè illum tracta, obliga
nes tuas per omnia; cumulatè etiam exple
contende: ut inveniaris in tempore ſuo, hoc
in horâ judicii ejus, dignus ſtare coram ipſo
quemadmodum Sponſus gaudet ſuper Sponſa
ſic gaudeat ſuper te Deus tuus; & tu viciſſ
gaudeas gaudens in ſponſo tuo, Domino
Deo tuo.

## *PRAXIS.*

*Sapientia Increata, pro nobis autem Incarn*
*Chriſte JESU: credo in te, & de te, ea omn*
*quæ tu, & quia tu, per Eccleſiam tuam revelas*
*te. Spero in te, & expecto à te, ea omnia,*
*tu, & quia tu promitis, & quia promeruiſti no*
*tuâ in nos Charitate, & pro nobis paſſione, at*
*Crucis Morte. Amo te, & ſuper omnia æſtimo t*
*ſicut dignus es: & quia dignus es, & ſicut ego d*
*beo, debereque volo, & gaudeo, propter Dig*
*tatem tuam Divinam, propter Dignationem tu*
*Humanam. Propter quæ etiam, te audire, ti*
*ſubdi, tibi obedire, te ducem, & Exemplar ſequ*
*tecum, & propter te pati, humiliari, contem*
*peto, appeto, propono. Tibi laudes, & grati*
*omn-*

*omnimodas ago. Te denique in Vitâ, & Morte, & in Æternitate perfrui concupiſco.*

# EXERCITIUM III.

## *Erga Sapientiam Incarnatam per Subjectionem omnium ad ipſam.*

1. RECognoſces Deum propter tuam, totiusque Humani generis ſalutem Incarnatum eſſe.

2. Subdes te huic Deo pro te Incarnato, tum quà ille Deus, tum quà Homo eſt ſecundùm utramque enim Naturam Dominus eſt omnium, & Rex Univerſorum, propter quod in femore ſuo habet Scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Naturâ enim eſt Dominus, & Rex, ſicut Naturâ Dei Filius, & Deus.

3. Cui etiam propterea omnes res, naturâ ſua ſubditæ, & ſubjectæ ſunt: & curvatur illi omne genu, ſive cæleſtium, ſive terreſtrium, ſive infernorum: neque ſe poteſt quisquam ſubducere, à ſubjectione ad poteſtatem, & dominationem voluntatis ejus.

4. Propter quod etiam iſtam ſubjectionem ad Incarnatum Deum, facies non tuo ſolùm quaſi particulari, & perſonali, verùm etiam omnium Hominum, & Angelorum, & Creaturam Nomine, obligatione, conatu, affectu, ſolicitudine, corde, ſubſtantia, atque viribus univerſis.

5. Confitendo cum omni ingenuitate, tam te, quàm omnem Creaturam, debere ſubjectionem iſtam omnimodam, abſolutamque huic Homini Deo, Non ſolùm propter eminentiam

divinitatis ejus, nec ſolùm propter naturalem innatamque omni Creaturæ, reſpectu Dei, ſubjectionis, & ſervitutis obligationem, ſed etiam propter Humanitatis ipſius per Hypoſtaticam ad Perſonam Verbi, Filiique Dei, aſſumptæ dignitatem: atque etiam propter meritum ipſius in ſuſceptis pro nobis in aſſumptâ Humanitate laboribus, acquiſitum, atque Patri æterno perquam humilimè, ſubmiſſiſſimèque oblatum.

6. Per hunc tuum præſentem ſubjectionis ad Incarnatam Sapientiam Actum: intendes: atque ſatages ſupplere, omnem quarumcunque Creaturarum ſubjectionis ad illam defectum.

7. Ideoque in tali actu exercendo, occupaberis quàm frequentiſſimè, ſiquidem neque aſſidue; occupaberis quàm pleniſſimè, absque ullâ diminutione; occupaberis quàm conſtantiſſimè, absque animi delaſſatione; occupaberis quàm devotiſſimè, cum poſſibili cordis latitudine, atque jucunditate: occupaberis quam liberaliſſimè & gratuitiſſimè, absque ullo ad privatum tuum commodum, ſed purè ad ſolam tuam, creaturamque obligationem, & ad unicam Dei Hominis Dignitatem reſpectu.

## *PRAXIS.*

*SApientia Increata, propter nos autem incarnata, Chriſte JESU, ſubdo me Majeſtati tuæ, tamquam DEUS: quam quâ Homo es. Subdo autem, non meo tantùm, ſed etiam omnium hominum, & Angelorum, & Creaturarum nomine, obligatione, affectu, corde, fervore, ſubſtantiâ, plenitudine. Omnes enim debemus tibi hanc ſubjectionem noſtri omnimodam. Non tantùm quia DEUS noſter es: nec tantùm*

tùm

*tùm quia opus manuum tuarum, & naturalia mancipia tua ſumus omnes, ſed etiam quia Humanitate ad Perſonam Dei Filii aſſumptâ, Homo DEUS es: & hanc ſubjectionem noſtri ad te, per opera, labores, paſſionem, mortem tuam in Humanitate, pro noſtrâ ſalute, proque DEI Patris æterni Gloriâ ſuſceptam, promeritus es.*

# EXERCITIUM IV.

## *Erga Sapientiam Incarnatam per Exinanitionem noſtri coram ipſa.*

1. Recognoſces Deum, propter tuam, omniumque Hominum ſalutem incarnatum eſſe.

2. Coram ejus divinâ præſentiâ & Majeſtate effundes, & exinanies totam tuam ſubſtantiam, potentiam, plenitudinem, efficaciam, virtutem.

3. Aſſumes ad hoc opus in Societatem, omnes Incarnatæ Sapientiæ ſpeciales Amatores: eorumque omnes, ſubſtantias, perſonas, potentias, efficacias, capacitates.

4. Hanc æternæ Incarnatæ Sapientiæ Societatem conſtituunt, inprimis quidem & primariò ipſe Deus-Homo Chriſtus JEſus: deinde divina ejus Mater Virgo Maria: tum Supremus Seraphim in Amorem Sapientiæ Æternæ deſtinatò conditus: qui Sanctus Michael eſſe creditur: tum univerſus Seraphinorum atque Cherubinorum Chorus: tum Petrus, Paulus, Andreas, Joannes, Apoſtoli, univerſusque eorum cætus: S. Joannes Baptiſta, SS. Joachim, Anna, Joſeph, Martha, Magdalena, Lazarus, Suſanna, Johanna, Simeon juſtus, Anna Phanuelis, Zacharias,

Elizabeth, cæteraque Sancta Chriſti cognatio: item Diſcipuli Domini, poſt hos Sancti plerique ardentiſſimi Dei Hominis Smatores: in quibus videntur eminere, à S. Athanaſius, Cyrillus Alex. Franciſcus Seraphicus, Bonaventura, Ignatius Martyr. Ignatius Confeſſor, Laurentius Juſtin. Henricus Suſo: Gertrudis, Mechtildis, Catharina Martyr. & Senenſis, & Adorna, &c.

5. Hujus totius Societatis Incarnatæ Sapientiæ, atque Seraphicæ, Subſtantiam atque plenitudinem omnem, effundes coram Incarnati Dei Majeſtate: in ejus honorem, amorem, ardorem, æſtimationem, exaltationemque: ſicut effudit tuam: cum omni profuſione & Exinanitione.

6. Id verò hoc fine, ac intento, ut per hanc effuſionem, atque exinanitionem veſtri impleatur, ſuppleatur & ſuper ſuperque impleatur, utcunque effuſio, & exinanitio Verbi æterni: propter nos in Incarnatione plusquam exinaniti.

7. Ut nimirum, quod fas eſt, quàm valdè Deus Homo, humiliavit, & exinanivit ſemetipſum in noſtræ humanitatis vilitate: tam valdè, tamque alte ſit per omnes Amatores ſuos, quin & per omnes Creaturas ſuas, amatus, exaltatus, appretiatus, dignificatus, & quaſi expletus, inſtauratus, accumulatusque, ac ſaginatus.

## PRAXIS.

*Sapientia Increata, pro nobis autem Incarnata, Chriſte JESU: in conſpectu, Majeſtatis tuæ Divinæ, propter noſtram ſalutem Incarnatione exinanitæ, effundo & exinanio totam meam, totam omnium Amatorum tuorum ſubſtantiam, potentiam, efficaciam, plenitudinem: & cum iſtis omnibus*

*Ama-*

*Amatoribus tuis, per iſtam noſtri propter Te, & in Te profuſionem, atque exinationem, ſuppleantur, & expleantur, quantum noſtræ parvitatis fas eſt, omnes tuæ propter nos exinanitiones, atque humiliationis: utque tantum, quoad conatûs noſtros puſillos, exalteris, & magnificeris à nobis, & in nobis, quantum humiliatus, & minoratus es Tu maximus in nobis, & pro nobis.*

# EXERCITIUM V.

## *Erga Sap. Incarnatam per ejus ad nos appropriationem.*

1. Rthe Ecognoſces Deum pro tuâ omniumque hominum ſalute incarnatum eſſe.

2. Colliges in unum veluti cumulum, acervumque hujus incarnati Dei univerſam ſubſtantiam, inchoando ab Æternitate & Majeſtate divinitatis ejus, & Originis ex Deo Patre. Deinde ab inſtanti conceptionis ejus ex puriſſimis Mariæ Virginis Matris ejus ſanguinibus. Omnia deinde puncta conſequentis vitæ illius congregabis: puta Vitam, & Moram in utero, Natalem in Mundum, Vitam in eodem, labores, fatigationes, prædicationes, paſſiones, indigentias, miſerias, miracula, beneficia, contradictiones, perſecutiones, invidias, contemptus, odia, dignationes, indignitates, dolores, vulnera, cruciatus, probra, blaſphemias, crucis mortem, ſepulturam.

3. Adjunges hic Deſcenſum ad inferos, Victoriam diaboli, inferni, peccati, mortisque: eliberationem captivorum Patrum, Reſurrectionem ex mortuis, confirmationem diſcipulorum, inſtitutio-

tutionem Eccleſiæ, Aſcenſum in Cælos, Spiritûs Sancti miſſionem, Regimen præſens Eccleſiæ, adventum ad judicium extremum, Regnum cum Sanctis æternum, Traditionem ejusdem Regni Æterno Patri, cum ſubjectione ſua ab ipſum.

4. Præterea congregabis omnia ejusdem Incarnati Verbi Merita, Gratias, Excellentias, Privilegia, Dona, Virtutes, operationes, eminentias, qualitates, remunerationes, glorificationes, denique omnes conditiones, atque circumſtantias ad ipſum quoquomodo attinentes.

5. Iſta omnia, ſic accumulata, & collecta, aſſumes tibi cum ſummâ veneratione, æſtimatione, cupiditate eorum: aſſumes deliberatè, voluntariè, devotè, in pretioſiſſimum unicum, ſolum theſaurum tuum, cordisque tui: in poſſeſſionem, in hereditatem, in proprietatem, in opulentiam, in ornatum, in Delitias, in Munimem, in Solatium, in Refrigerium, in Refugium, in Gloriationem, in præmium, in beatitudinem.

6. Omnes alias Creaturas à te, à corde, ab amore tuo, procul, & penitùs amandabis, excludes, perireque tibi, & curæ, & amori, & omni affectu, propter incarnatum Verbum conſtantiſſimè facies, & neque timori, neque amori earum apud te locum relinques.

7. In prædicto ſolius JESU tui theſauro acquieſces: illo deſideria, voraque tua explebis: in illo ſolo tibi complacebis, congaudebisque: ejus te prædictis poſſeſſionibus ditabis: veſtibus ejus atque inſignibus indues: dignationibus ejus adornabis. In ipſum te transformabis, & quaſi alter ille ipſe fies: in ipſo te ſepelies, in ipſo peribis

tibi

tibi, atque diſperibis, in ipſum Deificaberis atque indivinaberis.

## PRAXIS.

*Sapientia Increata, pro nobis autem incarnata Chriſte JESU omnem ſubſtantiam tuam Divinam ex Patre: omnemque humanam ex Matre, omnia quoque momenta Vitæ tuæ Theandricæ, rebus, omnibus pretioſiora, tum ea, quæ ab Æterno vixiſti cùm Patre, tum ea quæ ex tempore vivere cœpiſti perrexiſtique conceptus & genitus ex Matre, tum etiam ea, quæ ab inſtanti reſurrectionis ex mortuis vivis, & vivis totâ æternitate; Omnes quoque divitias tuas ſive ex Divinitate, ſive ex quovis alio fonte in te promanantes, & exiſtentes: Omnes etiam actiones, virtutes, gratias, doctrinas, veritates, paſſiones, miſerias, dignationes, indignitates, probra, vulnera, contemptûs, egeſtates, dolores, mortem: Omnia quoque merita, dona, præmia, poſteriores glorias, privilegia, exempla, exaltationes, glorificationes, recompenſationes, ac remunerationes tuas: & quidquid tandem Tu es, quidquid in Te eſt, quidquid à Te geſtum toleratumque, quid Tibi debitum, te dignum, & condignum eſt: totum hoc, quantumquantum eſt, & quidem ſolum atque unum: amandatis, ablegatisque omnibus aliis creaturis, à me, meoque corde, quatenus eæ elongant, & elongantur à te; deligo, aſſumo, accepto mihi in unicum, in ſolum, in ſolidum cordis mei theſaurum, in paſſionem, in hereditatem, in opulentiam, ſufficientiam, abundantiam, ornatum, gloriam, pretium, præmium, mercedem, coronam, beatitudinem, atque in beatificam æternitatem, æternaturamque Beatificationem. Te ſolô & uno, mi DEUS meus JESU contentus ſum,*

*plene,*

*plenè, abundanter, ſuperabundantiſſime. Te ſolum induo, in Te amores, deſideria, vota mea omnia transfero, transfundo, tranſplanto, irradico, transflammo. In Te me transmuto, transformo, in Te demergo, in Te ſepelio, in Te perdo, in Te annihilo, in Te Deifico, & indivino: ut nusquam ſim amore extra te: totus autem in uno & ſolo Te: imò totus unus, & ſolus Tu, per omnem Æternitatem, quà Æternus es tu.*

# EXERCITIUM VI.

## *Erga Sapientiam Incarnatum, per Æſtimationem ſumptuum illius pro uobis.*

1. REcognoſces Deum pro tuâ omniumque ſalute Incarnatum eſſe.

2. Ruminabis, & expendes apud Te hanc Dei propter te reſolutionem, atque impenſam ſane ſumptuoſiſſimam: quam tui cauſa profudit, in deſcenſu usque in virginis uterum, in conceptione ex ejus ſanguine: in Natali, in Vitâ pauperrimâ, contemptiſſima, aſperrima; in paſſione acerbiſſima, in morte probroſiſſima; Quod totum Apoſtolus uno, verbo vocavit; *Exinanitionem.*

3. Attendes, & advertes ad te ipſum: quomodo nunquam fuiſti, nunquam es, nunquam eſſe potes, dignus hac Dei tui adeo ſumptuoſa, adeo prorſus incogitabili, inſperata, inoptata, immani denique reſolutione, profuſione, exinanitione. Attendes, inquam, quomodo non es dignus, propter parvitatem, imò nihilitudinem, propter abjectionem, propter inutilitatem, propter iniquitatem, propter miſeriam, propter fragilitatem propter mendicitatem, propter ingratitudinem

tudinem, propter incorrigibilitatem, propter recidivationem, propter obſtinationem in malo, tuam.

4. Tu enim, talis, dignus ſis, fuerisvé, non dico tanta, tamque immenſa, & inæſtimabili, ſed vel infinities quamvis minori Dei tui ſuper te effuſione, & propter te inaniſſimum exinanitione? Si vel ſcintillam tuæ vilitatis indignitatisque, & ſi viciſſim a omum divinæ dignitatis, nec non propter te dignationis, exinanitionisque cognoveris comparaverisque; impoſſibile eſt te non ipſa profunditate profundiùs deprimi.

5. Super omnia attendes & expendes; quomodo non tantùm indignus, ſed etiam omnibus oppoſitis modis extremè dignus & fueris & ſis, propter ingratiſſimam malitioſiſſimamque ingratitudinem, ſterilitatem, malorum pro bonis, peſſimorum pro optimis retributionem, inque retribuendo fæcunditatem; adeo ut certaſſe, certatimque videaris cum profuſione nimia beneficentiæ Dei ſuper te: per continuam effuſionem ingratitudinis tuæ contra Deum.

6. Stupore magno ſtupeſces; quòd tantus Deus pro te tantillo, & undique indigniſſimo, miſerrimo, ingratiſſimo, exoſiſſimo, tantos ſumptus profudit, ac etiamnum profundit.

7. Abominaberis te ipſum, & excuties à te procul omnem ingratitudinem tuam.

8. E contrà verò æſtimabis, & appretiabis te, etiam coram ipſo te; propter tantam tui apud Deum ab ipſomet Deo æſtimationem, atque appretiationem: neque tibi ampliùs vilis eris; quandoquidem ſapientiſſimus, atque adeo ipſa vera Sapientia DEUS, tanto te pretio dignum æſtimavit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vit. Ex hoc jam âgnoſce dignitatem tuam: quoniam divinæ conſors factus es naturæ; & ideo in veterem vilitatem degeneri deinceps converſatione cave redire: ſed intelligens à quo, & quanti æſtimatus es: etiam, quem, & qualem te eſſe vivendo deceat; omnia quæ ſunt Deo digna ſectare.

9. Accendas te, & conveſtias, imò & commutes totum, in dilectionem, in æſtimationem, in exaltationem, in deſiderium, in uſum efficacem, condignumque tantorum ſumptuum pro te profuſorum, & in te effuſorum: qui non alii neque minores ſunt, quam ipſe Amator profuſorque, ipſe, inquam, pro te Incarnatus DEUS.

10. Ergo applica te, & adfige, atque, adglutina huic tuo Amatori, huic Amori tuo, ſicut lactens ad ubera, ſicut Hirudo ad ſanguinem, ſicut ſpongia ad aquam, ſicut flamma ad ſtipulam: cum omni ſimplicitate, ſinceritate, ſecuritate, amoroſitate, fiducia, acquieſcentia, projectione, immerſione, æternalitate.

## *PRAXIS.*

*Sapientie Increata, propter nos autem Incarnate Chriſte JESU. Oh! quantùm impendiſti, quantum profudiſti totius Subſtantiæ tuæ pro me! Pro me inquam: qui minimâ gratiâ tuâ, fui ſemper indignus: & nunc etiam inſuper illius exiſto ingratus. O mi JESU quàm inſuperabilis eſt Bonitatis tuæ ſuper me immenſitas! quæ cohiberi nequit à ſui ſuprà me profuſione, etiam iſtâ perenni meâ ingratitudine, atque indignitate: ſed uſque modô manat, & promanat ſuper me. O abominabilis ingratitudo mea! quouſque mecum eris? quouſque non faceſſes procul,*

*& pro-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*& procul à me? quousque Amatori, quousque Amori meo JESU, moleſta & oneroſa eris? Recede à me, & excede ô peſtis, ô virus Boni mei univerſi, excede in æternum. O Anima mea: ab JESU ſic dilecta: ſaltem nunc, & ex nunc, ardeſce Amore Amatoris, Amorisque hujus tui: adfige te, adglutina, adcreſce huic tuæ mamillæ, huic Matri, undique lac miſerationum, atque gratiarum, beneficiorum & amorum, efficaciſſimorum & inceſſabilium, ſuper te jugiter, perenniterque ſcaturienti: atque profuſione profuſiſſimâ profundenti.*

# EXERCITIUM VII.

*Erga Sapientiam Incarnatam per Gratiarum actionem pro Gratuito illius in nos Amore.*

1. Recognoſces DEUM pro tuâ, omniumque Hominum ſalute incarnatum eſſe.

2. Incarnatum autem ſine ullius ſui commodi intuitu: ſed purè gratis, ex amore atque commiſeratione tui, & ſimul aliorum omnium Hominum.

3. Non enim eum pellexerunt aut pertraxerunt ad hoc ulla merita, ullæ dignitates, ullæ excellentiæ, ullæ ſingularitates tuæ, aut aliquorum aliorum.

4. Quin imò retrahebant illum infinitæ, certò, certiſſimoque prævisæ, & perſpectæ indignitates, & ingratitudines, ſterilitates, moroſitates, malitiæque, tam tuæ, quàm omnium reliquorum hominum. Quibus non obſtantibus, ad incarnationis ſuæ omnem Dignationem deſcendere non abhorruit.

5. Reddes, tuo, omniumque hominum nomine, grates quàm gratioſiſſimas, huic tuo Amatori, pro hac Dilectione, atque commiſeratione.

6. Ex hoc ipſo gratitudinis gratiarumque actionis affectu, totam tuam, quin etiam omnium hominum, imò & univerſarum ſingularumque Creaturarum, Vitam, Actionem, Entitatem, atque Subſtantiam, deſtinabis, exercebis, offeres: æternaliter, ad omnem quàm gratiſſimum Guſtum, huic eidem Deo: pro te, & pro omnibus Hominibus Incarnato.

7. Petes ab eodem, per iſtam ejus Charitatem Dignationemque miſericordiſſimam, atque gratioſiſſimam, ut te aliquando, imò quàm primum, atque ſtatim, juxtà beneplacitum cordis ſui, extrahat ab omni admixtione Creaturæ, ab omni Amore tuo proprio, ab omni proprietate, libertate, propenſione, quiete, pondere ſenſualitatis, & concupiſcentiæ, uſque ad omnem denudationem affectus.

8. Introducat autem te, in Se, atque ſimul Se in te, ut tu in illo, & illo, & per illum vivas, viciſſimque ille in te, & te vivat: juxta illam normam Apoſtolicam: (Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus:) *Gal. 2. 20.* transmutando te in ſuum Spiritum, & in indolem naturamque cæleſtem. Imbuendo te moribus ſuis, amore ſuo, omnibusque ſtudiis propenſionibus, votis, ac interioribus ſuis. Faciendo quoque te mancipium atque Sponſum Voluntatis ſuæ, pabulum Charitatis ſuæ, objectum ſubjectumque ac materiam occupationis, operationis, delectationisque ſuæ, perennis, & æternæ.

PRAXI

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## PRAXIS.

SApientia Increata pro nobis autem incarnata JESU Chriſte. Incarnata verò ex puro Amore, & gratuitâ miſeratione ſuper me perditum, ſine ullâ tuâ commoditate ac neceſſitate: ſine ullo meo, omniumve noſtrûm merito, aut dignitate. Ago tibi gratias meo, & omnium hominum nomine, me item ipſo toto, omnibusque, & ſingulis hominibus: pro hac incomprehenſibili, & incompenſabili, & gratuitiſſimâ Charitate, atque miſeratione ſuper nos tuâ. Et per eam ipſam: meudico à te, toto me, totoque univerſo: ut me, vel nunc ſtatim, vel quando Tibi meliùs placitum fuerit, eliberes, atque extrahas, ab omnibus Creaturis, & affectionibus creatis: inprimis verò à me ipſo, & ab amore mei, à libertate, à propenſione, à fiduciâ, à proprietate, à guſtu, à quiete, à ſenſualitatis pondere, a concupiſcentiarum illecebrâ, ab omni denique fæce, & nidore creato: ut nullatenus ad ullam creaturam, aut ad meipſum, propter meipſum incliner, ſed liberatus & expurgatus ad purum, ab omni fermento proprii, creatique amoris, in Te totaliter, plenè, intimè transferar, & tranſeam, & transfermenter, interiora tua ſubintrem, & ſuperinduam, in ſpiritum tuum tranſubſtantier, moribus tuis, indoleque tuâ imbuar, amore tuo tranſflammer, vitâ, præſentiâ, gratiâ, efficaciâ tuâ, penetrer, & tranſradier, fiamque mancipium, & Sponſus Voluntatis tuæ, occupatio cordis tui, ſubjectum operationis tuæ, cibus & paſtus Animæ Deitatisque tuæ in Æternum.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN